

transversim aggere impediunt. Non arctiori virtutes fibula inter se necluntur, aut venae per corpus invicem commeant sequacius. Nec Plato, etsi nonnullis aliter videtur, ab hac sententia diversus abiit, cum in republica a se primum instituta lege lata cavit, ne quis plures unus artes scilicet exerceat: aliorum enim cautio illa respicit, neque septa sellulariarum artium egreditur; alioquin legifer ipse reus agi posset violatae a se scitae legis, qui nullam liberalem artem non perfecte calluit, idem poeta summus, conditorque dialogorum disertissimus, quos petitis ex omni scientiarum genere floribus referat.

(a) Verum ubi quod satis esset operae *Maurocenus* in patria studiis impendit, Athenas Euganeas se contulit, ratus inde profectui suo incrementi non parum accessurum ob urbis, & doctorum autoritatem. Florebat illa tempestate *Franciscus Piccolbomineus*, & *Jacobus Zabarella*, nobile par philosophorum, quorum ille Averroidarum princeps, hic Alexandreae sectae propugnator acer habebatur. Unde inter eos studio partium incensos crudum in dies odium, asperrimaque aemulatio gliscebatur, dum alter copias parat adversus alterum ea contentione animorum, ut non in circo olim Veneta factio Praefinae adversata fuerit implacabilius. *Maurocenus Piccolbominei* in disputando ubertate, acumine *Zabarella* captus, ambos, qua erat morum lenitate, summe coluit, ambobus eo in primis carus, quod ab obrectatione iuxta, & favore partium intactus, hominum diversas quidem, sed praeclaras dotes pari pietate observaret. Idem Pomponio Attico aetas sua praestantissimorum, si ulla unquam alia, virorum ferax summae laudi vertit, quod, fide salva, officioque amicitiae debito incolumi, Q. Hortensium, & M. Ciceronem, adversis inter se se in foro studiis certantes, pulcherrimique laboris aemulos, pariter dilexerit, ab utrisque aequae cultus, dilectusque. Patavii per quam diu fuit *Maurocenus* genio suo obsecutus, qui non alia voluptate ducebatur, quam quae a literis orta in literis ipsis quasi eodem orbe repetito acquiescit. Quid enim quaeſo aliud ageret potissimum juvenis frugi, constantiaque inexuperabilis adversus exitiales pestes saeculi luxum, aleam, libidinem? Virginis cum senectae fuisse, quasi alterum Origenem Adamantium, alibi ex familiarium relatu diximus. (b) Unus nempe discendi amor gloria flagrantem animum incessens, degeneres inde caducarum rerum reliquarum omnium cupidines, veluti clavus clavo truditur, dispulerat. Quod de Hippolyto quoque, Thesei filio, mortalium castissimo, fabulae testantur, qui non tam venatus, ut ajunt, quam sapientiae studio (erat enim is Orphicae philosophiae summe deditus) ab omni cogitatione venerea abstinuit, caecus ad formosas. Obversatur animo haud illepidi facti recordatio, quae ad fidem dictis adstruendam mire facit. Commigrarat Patavium e fornice Veneto hilaribus Thais una omnium facerruma, ut juventutem ad pudorem natam a Minervae sacris ad Veneris volutabrum, & Bacchi orgia traduceret. Hujus ille cum fores praeteriret uno atque altero sodali comitatus, quibus mulieris fraus non ignota erat, forte accidit, ut illex in vestibulo aedium sederet aucupio intenta: quae ut juvenes accedentes vidit, obviam ultro prodiens, iis verbis, eo gestu manuum, eo nutu, vultuque illos prosecuta est nunquam sibi ne de facie quidem ante cognitos, ut nihil potuerit fieri amantius: quae non omnino gratuitae benevolentiae imitamenta *Maurocenus*, ut erat ingenuo, experteque nequitiarum animo, non aliorum est interpretatus, quam si officii ergo diceretur. Ubi nunc, luxuria rerum potente, in necdum ingressio ephebos puero tantum invenias doli incapacitatis, quantum

(a) pag. xii.
lin. 1.

(b) pag. xiii.
not. b.

in